



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

92. Theophanes adolescens iuxta votum suum sincero animo ingreditur
Religionem, & licitè postea pro libitu suo egreditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

tionem, non lucrandi, vti in casu supponimus.

XCII. *Theophanes Studiosus valdè afficitur erga certam Religionem, quam idcirco finitis humanioribus studijs se vouet ingressurum, idque re ipsa præstat. Sed mox ex eadem egreditur solâ animi leuitate nullâ rationabili causâ ductus, cum aliàs sacrum Ordinem minimè sibi incommodum fuisset expertus. Nunc de regressu suâque obligatione sollicitus narrat hæc suo Confessario scire cupiens, quid porro faciendum. Queritur. Vtrum Theophanes satisfecerit voto suo per solum suum ingressum?*

Videtur non satisfecisse, sed mortaliter peccasse. Ita Caiet. in 22. quest. vlt. art. 4. dub. 3. Suarez Tom. 3. de Religione. l. 4. c. 3. n. 11. & 12. Layman l. 4. tr. 5. c. 6. n. 12. Palao tr. 16. D. 1. pun. 4. n. 3. & plures alij. Nam qui Religionem vouit, censetur se ad id saltem obligare, quod alij sine voto ingredientes præstare tenentur. Atqui tales debent perseuerare, si nullam rationabilem causam recedendi habeant, alioquin venialiter delinquent. Ergo vouens Religionem vi voti obligatur ad perseuerandum. Ergo peccat contra votum, adeoque mortaliter, si absque iusta causa huic obligationi non satisfaciat.

Resp. Theophanem satisfecisse voto, sincero animo ingrediendo, etiam si postea ex libitu egressus fuerit. Ita Nauarr. l. 3. consil. Tit.

de Voto. Consil. 21. in prima editione: Azor. 1.
part. l. 11. c. 22. q. 6. in fine. Bonac. Tom. 2. D. 4.
q. 2. pnn. 1. §. 6. n. 4. & alij apud hos. Ratio
est. Quia vouens Religionem censetur eam
vouere sub cōditione probationis à jure con-
cessæ. Atqui jus ijs, qui absque voto Religio-
nem ingrediuntur, concedit, vt possint pro-
libito eam dimittere. c. ad Apostol. de Regular.
c. 1. eodē tit. in 6. Ergo etiã vouens Religionē
voto satisfaciet, esto pro libito Religionem
dimittat; siquidem non se vult ad Religionē
aliter obligare, quàm cæteri ingredienti-
es obligantur.

*Ad argumentū in contrarium negamus sub-
sumptum; is namque, qui absque voto ini-
uit Religionem, potest absque vlllo veniali
peccato egredi, vt fatetur ipse Palao n. 4. si-
cut enim pro libito potuit non assumere Reli-
gionem, ita pro libito potest eam deserere;
aliàs omnes incipientes Consilium aliquod
Euangelicū exercere, tenerentur in illo per-
seuerare in perpetuum, quod vtique non est
dicendum. Ergo id ipsum potest, qui voto
obligatus ad Religionem venit, cū voti ob-
ligatio concessioni vniuersali iuris præualere
nequeat.*

*XCIII. Torrellus pius Eremitæ cultor subito in
maximam incidit tristitiam & rerū spiritualium
radium, vt sacra exercitia omnia omittat, & Ere-
mitico egredi statuat, aiens, nullam sibi vti potest repro-
bationem sperare.*